

PONTIFICIUM CONSLIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS

# COMMUNICATIONES

VOL. XXXVI - N. 2

---

2004

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRIS 2004

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

## EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Allocutio ad quosdam Episcopos Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis Limina Apostolorum visitantes . . . . .	175
---	-----

## EX ACTIS CONSILII

QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE . . . . .	179
RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIOSIS . . . . .	181
SYNTESIS GENERALIS LABORIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO . . . . .	183

## EX ACTIS PONTIFICIA COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum « De Bonis Ecclesiae Temporalibus » (Sessio I) . . . . .	236
Coetus studiorum « De Bonis Ecclesiae Temporalibus » (Sessio II) . . . . .	250
Coetus studiorum « De Bonis Ecclesiae Temporalibus » (Sessio III) . . . . .	277
Coetus studiorum « De Bonis Ecclesiae Temporalibus » (Sessio IV) . . . . .	306
NOTITIAE . . . . .	334
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA . . . . .	336

COETUS STUDII  
«DE BONIS ECCLESIAE TEMPORALIBUS»

Sessio IV<sup>a</sup>

(diebus 19-24 februarii 1968 habita)

Diebus 19-24 februarii 1968, in Aula sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas de bonis Ecclesiae temporalibus.

Conventui intererant Exc.mus Valentinus Wojcik; Ill.mi ac Rev.mi Hercules Crovella, Vincentius Fagiolo, Thomas Garcia Barberena, Laurentius McReavy, Joannes Pazstor, Fridericus McManus; Rev.mi Patres Athanasius Weljkyj, Ulricus Beste, Daniel Faltin, Alfonsus Stickler et Ill.mus Prof. Eugenius Isele.

Praeerat Rev.mus P. Raimundus Bidagor, Secretarius Commissionis; Relatoris munere fungebatur Ill.mus ac Rev.mus Hercules Crovella; actuarii munere fungebatur Rev.dus Franciscus Voto, a studiis Commissionis.

Quaestiones a Secretaria Commissionis propositae erant sequentes:


1º Utrum placeant necne formulae canonum 1518, 1519, 1519 bis, 1520, 1521, 1521 bis, 1522, 1523 a Rev.mo Relatore, iuxta placita Consultorum in Sessione praecedenti expressa, redactae.

2º De can. 1524 placeatne formula a Rev.mo P. Jarlot S.J. redacta.

3º De recognoscendis canonibus 1525-1534.

Singuli praesentes Consultores votum de propositis quaestionibus paraverunt. Etiam Exc.mus Consultor Antonius Mauro, qui conventui interesse non potuit, votum suum Secretariae miserat.

De his votis Rev.mus Relator relationem scripto apparavit manifestando sententiam quam quisque Consultor in suo voto expresserat.



**Adunatio I<sup>a</sup>  
die 19 februarii 1968 mane habita**

*Can. 1518*

Relator legit suam formulam, id est:

«Supremus Pontifex, vi Primatus iurisdictionis, est omnium bonorum ecclesiasticorum supremus administrator et dispensator».

N.B.: Mens Consultorum est ut hic canon in Codicem fundamentalem transferatur, et eiusdem loco, sub eodem numero, sequens textus collocetur:

«Summi Pontificis est legibus generalibus administrationem bonorum ecclesiasticorum moderari et graviores causas suo iudicio reservare».

Formula, simul cum *Nota* de formula alternativa, placet omnibus Consultoribus, sed loco «Supremus Pontifex» dicatur «Summus Pontifex».

*Can. 1519*

Relator legit suam formulam:

«§ 1. Ordinarii est sedulo advigilare administrationi omnium bonorum ecclesiasticorum quae subsunt suaे iurisdictioni, salvis legitimis praescriptionibus, quae eidem potiora iura tribuant.

§ 2. Habita ratione iurium, legitimarum consuetudinum et circumstantiarum, Ordinarii, editis peculiaribus instructionibus intra fines iuris communis, universum administrationis bonorum ecclesiasticorum negotium ordinandum current».

Circa paragraphum primam Ill.mus primus Consultor proponit ut dicatur: «..., quae *ad personas morales pertinent suaे iurisdictioni subiectas*, salvis, etc...», loco «quae subsunt suaे iurisdictioni».

Propositio omnibus Consultoribus placet.

§ 2: Placet prout proposita a Rev.mo Relatore.

*Can. 1519 bis*

Rev.mus Relator legit suam formulam:

« Bona ecclesiastica, quae ex pluribus dioecesibus coalescunt, ad normam canonum ... (qui adhuc formulandi sunt) administrantur secundum normas a Conferentiis episcopalibus legitime statutas ».

Formula omnibus placet.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut canon iste fiat can.1519 et can. 1519 fiat can. 1519 bis.

Propositio omnibus placet.

Rev.mus secundus Consultor proponit novum canonem (1519 ter) de bonis religiosorum:

« Bona religiosorum exemptorum in singulis dioecesibus existentia, ordinantur normis iuris communis religiosorum, propriis statutis et peculiariibus instructionibus propriorum Ordinariorum ».

Ratio huius propositionis, dicit Rev.mus secundus Consultor, sequens est: in hac parte Codicis fere nihil habetur de bonis religiosorum, quae saepe sunt magna pars bonorum ecclesiasticorum in dioecesi; in can. 1519 § 2 dicitur « universo administrationis bonorum ecclesiasticorum negotio », et incertitudo saltem apparens exsistit. Dispositiones autem particulares bonorum religiosorum in parte « de religiosis » edantur.

Rev.mis secundo, quarto et quinto Consultoribus placet propositio haec, quia opportunum videtur omnes normas de bonis ecclesiasticis in hac parte codicis extare (Rev.mus quartus Consultor), quamvis res non careat difficultatibus, quia hoc modo ius religiosorum in variis partibus codicis dispergitur.

Omnes alii Consultores dicunt quod si actualis ordo systematicus Codicis servatur, canon (a Rev.mo secundo Consultore propositus) in parte de religiosis collocandus erit.

Aliqui tamen Consultores (Rev.mi sextus, septimus et octavus Consultores) putant in canone 1519 fieri posse aliquam mentionem rei per clausulam « salvo iure religiosorum ».

Fit suffragatio placeatne remittere rem ad Coetum de religiosis:

Placet 10; non placet 2.

#### *Can. 1520*

Relator legit suam formulam:

« § 1. Quilibet Ordinarius proprium Consilium administrationis instituat, quod constet praeside, qui est ipse Ordinarius, et aliquot viris idoneis, iuris

etiam civilis, quantum fieri possit, peritis, quorum saltem unus ad Consilium presbyterale pertineat, ab ipso Ordinario eligendis, auditio eodem Consilio presbyterali, nisi iure particulari alio aequivalenti modo provideatur.

§ 2. A Consilio administrationis excluduntur viri qui cum Ordinario primo vel secundo gradu consanguinitatis vel affinitatis coniuncti sunt.

§ 3. Ordinarius in administrativis actibus maioris momenti Consilium administrationis audire tenetur; huius tamen sodales votum habent tantum consultivum, nisi iure communi in casibus specialiter expressis vel ex tabulis fundationis eorum consensus exigatur.

§ 4. Sodales huius Consilii iusiurandum de munere bene ac fideliter adimplendo coram Ordinario emittant».

Examinantur singulae paragraphi:

### § 1

Rev.mus octavus Consultor notat quod in canone agitur de Ordinario, non de Ordinario *loci*; ergo clausula «audito Consilio presbyterali» aliquam contradictionem inducit, cum tantum Ordinarius *loci* suum Consilium presbyterale habeat.

Alii Consultores tamen non ita sentiunt, quia clausula illa, uti patet, tunc tenet, cum Consilium presbyterale adsit.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut praeter peritos in iure civili, memorentur in canone etiam periti in re oeconomica.

Rev.mi tertius et secundus Consultores notant in locutione «viris idoneis» etiam peritos in re oeconomica comprehendendi.

Ill.mus primus Consultor censet peritos in iure civili plerumque etiam peritiam in re oeconomica habere.

Suffragatur propositio Rev.mi sexti Consultoris:

Placet 6; non placet 6.

Rev.mus Relator inde proponit ut in sua formula deleantur verba «iuris etiam civilis, quantum fieri possit peritis», ita ut per verba «viris idoneis» omnes comprehendantur, periti scilicet in iure civili et etiam periti in re oeconomica.

Suffragatur propositio Rev.mi Relatoris:

Placet 7; placet iuxta modum 2; non placet 5.

Modus ita indicatur a Rev.mis sexto et octavo Consultoribus: placet

dummodo lex conficiatur qua imponatur Ordinario ut normas edat quibus Consilium administrationis munus adimplere debet.

Propositio haec placet 10 Consultoribus (2 non placet) et, communis consilio, sequens proponitur formula quae § 2 canonis constituit:

«Ordinarius statuat normas quibus Consilium administrationis suum munus adimplere debeat».

### § 3

(id est § 2 in formula proposita a Rev.mo Relatore).  
Omnibus placet.

### § 4

(id est § 3 in formula proposita a Rev.mo Relatore).  
Omnibus placet.

### § 5

(id est § 4 in formula proposita a Rev.mo Relatore).  
Rev.mus quartus Consultor proponit ut supprimatur quia iuramentum, in casu, non videtur imponendum.

Suffragatur haec propositio Rev.mi quarti Consultoris:  
Placet 11; non placet 1.

Rev.mus Secretarius proponit ut Consultores suam sententiam exprimant circa formulam can. 1524, quam Rev.mus P. Georgius Jarlot S.J., a Secretaria Commissionis rogatus, rededit.

En formula Rev.mi P. Jarlot:

### *Canon 1524*

«§ 1. In rebus ecclesiasticis administrandis, maxime in operariis conductendis, omnes rerum istarum administratores, praeprimis clerici et religiosi, leges sociales loci sancte seduloque servent.

§ 2. Invigilant ut mutuae quae ipsis cum operariis et subditis intercedunt rationes, ad mutuum obsequium, ad existimationem et benevolentiam conformatur, ita ut omnes tamquam ad commune opus sincera prae-sentique virium concordia conspirent.<sup>1</sup>

<sup>1</sup> IOANNES XXIII, Lit. enc. *Mater et Magistra*, AAS 53 (1961), 423-424.

§ 3. Ita labor remunerandus est ut homini facultates praebeantur suam suorumque vitam materialem, socialem, culturalem, spiritualem digne ex-colendi, spectatis uniuscuiusque munere et productivitate, necnon officinae conditione et bono communi.<sup>2</sup>

§ 4. Curent administratores bonorum ecclesiasticorum ut universus laborum processus necessitatibus laborantium eorumque vivendi rationi accommodetur, imprimis vitae eorum domesticae, praesertim quod ad matresfamilias spectat; eisdem praebeatur facultas proprias facultates in ipso laboris exercitio explicandi; omnes insuper ad vitam familiarem, culturalem, socialem et religiosam colendam sufficienti quiete et otio gaudent.<sup>3</sup>

§ 5. Laborantium agnoscat ius fundamentale consociationes libere condendi, vel eisdem nomen dandi, necnon earum navitati sine ultionis periculo partem sumendi ».<sup>4</sup>

Singuli Consultores suam mentem dicunt circa hanc formulam, quae generatim videtur nimis amplam esse, haud rigore iuridico exaratam, et, de cetero, ad rem nostram non pertinentem, quia in ipsa summa capita doctrinae socialis Ecclesiae enunciantur, dum pro re nostra, sufficit normam confidere de mercede quam administratores ecclesiastici correspondere tenentur iis qui in Ecclesia operam conductam praestant, servatis utique principiis doctrinae socialis Ecclesiae.

Rev.mus Secretarius quaerit utrum opportunum sit hunc canonem omnino delere necne, cum agat de re obvia, de mercede scilicet tribuenda iis qui operam dant, quo onere omnes administratores tenentur. Nostris enim temporibus corpus completum doctrinae Ecclesiae habetur quae dirigit relationes ordinis oeconomico-socialis et ipsae legislationes civiles ultro progressae sunt ad illas relationes ordinandas.

Consultores tamen censem canonem 1524 non esse delendum, proinde proponitur ut aliqui Consultores novam formulam redigant, quae se-

<sup>2</sup> CONC. VAT. II, Const. Past. *Gaudium et Spes*, n. 67, § 2; cf.: PIUS XI, Lit. enc. *Quadragesimo anno*, AAS 23 (1931), 200; PIUS XII, Nunt. radioph. 23 dec. 1942, AAS 35 (1943), 20; Alloc. operariis ex Italiae dioecesis convenientibus, 13 iun. 1943, AAS 35 (1943), 172; Nunt. radioph. ad operarios Hispanicos, 11 mart. 1951, AAS 49 (1951), 215; IOANNES XXIII, Lit. enc. *Mater et Magistra*, AAS 53 (1961), 419.

<sup>3</sup> CONC. VAT. II, Const. Past. *Gaudium et Spes*, n. 67, § 3.

<sup>4</sup> CONC. VAT. II, Const. Past. *Gaudium et Spes*, n. 68, § 2; Cf. PIUS XI, Litt. enc. *Quadragesimo anno*, AAS 23 (1931), 205; PIUS XII, Alloc. ad adscriptos societatis operariorum christianorum Italiae, 11 mart. 1945, AAS 37 (1945), 69; ad eosdem, 25 iunii 1948, AAS 40 (1948), 336; ad socios sodalitatis cui nomen « *Mouvement ouvrier chrétien de Belgique* », 11 sept. 1949, AAS 41 (1949), 548; IOANNES XXIII, Litt. enc. *Mater et Magistra*, AAS 53 (1961), 425-426.

quenti die examinari possit. Deputantur Rev.mi Consultores tertius, sextus, quintus et octavus ut novam formulam redigant.

Adunatio II<sup>a</sup>

die 20 februarii 1968 mane habita

*Can. 1521*

Rev.mus Relator legit suam formulam:

«§ 1. In administrationem bonorum ecclesiasticorum quae ex iure vel tabulis fundationis suos non habent administratores, Ordinarius assumat viros providos, idoneos et boni testimonii quibus, elapso triennio, alias sufficiat, nisi locorum circumstantiae aliud suadeant.

§ 2. Si laicis partes quaedam in administratione bonorum ecclesiasticorum ex legitimo fundationis seu erectionis titulo vel ex Ordinarii voluntate competent, omnia ab iisdem laicis nomine Ecclesiae fiant, ac salvo iure Ordinarii visitandi, exigendi rationes et praescribendi modum administrationis».

De prima paragrapho animadversiones sequentes habentur:

*a.* Rev.mus nonus Consultor censet casus bonorum ecclesiasticorum quae ex iure vel tabulis fundationis suos non habeant administratores, rarissimos esse, proinde canonem omitti posse.

Sed alii Consultores dicunt canonem servandum esse.

*b.* Rev.mus quintus Consultor proponit ut omittantur verba «providos ... et boni testimonii» et dicatur tantum «viros idoneos».

Propositio haec placet omnibus Consultoribus, excepto Rev.mo undecimo Consultore.

*c.* Rev.mus octavus Consultor proponit ut munus administratorum per quinquennium protrahatur.

Sed omnes alii Consultores (duo tamen se abstinent a sententia ferenda) praferunt triennium.

*d.* Rev.mus sextus Consultor proponit ut expresse dicatur administratores, elapso triennio, eo ipso a munere cessare.

Propositio maiori parti Consultorum placet, proinde Rev.mus sextus Consultor censet formulam ita corrigi posse: «... qui, elapso triennio, a munere cessant, nisi ab Ordinario confirmentur».

Rev.mus tertius Consultor autem proponit: «... qui, elapso triennio, a munere cessant, nisi ab Ordinario iterum nominentur».

Suffragatur textus a Rev.mo tertio Consultore propositus:  
Placet 7; non placet 5.

Circa secundam paragraphum, de qua in formula Rev.mi Relatoris, Rev.mus quartus Consultor proponit ut de ipsa fiat canon distinctus qui sit can. 1521 bis.

Huic propositioni accedit Rev.mus sextus Consultor, qui, praeterea, notat idem praescriptum ponendi actus administrationis *nomine Ecclesiae* valere debere tam pro laicis quam pro clericis. Secus laici male acciperent talem normam, tamquam iniustam discriminationem.

Rev.mus decimus Consultor dicit nullam discriminationem fore adversus laicos, si nihil dicatur de clericis; sensus enim canonis est quod si laici in administrationem bonorum ecclesiasticorum assumantur, sciant se nomine Ecclesiae agere debere.

Rev.mus Secretarius meminit talem specialem normam in Codice Iuris Canonici (can. 1521 § 2) laicis impositam fuisse propter rationes historicas, ad tollendos nempe abusus qui in aliquibus regionibus gravabantur.

Institit Rev.mus sextus Consultor affirmans quod si tales conditiones historicae non amplius perdurent et norma servari censemur, necesse est ut etiam ad clericos extendatur.

Tandem omnibus Consultoribus placet ut canon distinctus fiet et norma imponatur expresse omnibus administratoribus sive clericis sive laicis.

Quoad formulam, Rev.mi decimus, quartus et secundus Consultores proponunt ut canon restringatur ad primam partem, ad edicendum scilicet quod omnes administratores agere debent nomine Ecclesiae.

Sed alii Consultores volunt ut mentio fiet iuris Ordinarii circa eandem administrationem.

Rev.mus Relator proponit hanc formulam:

*Can. 1521 bis*

«Omnes, sive clerici sive laici, qui legitimo titulo partes habent in administratione bonorum ecclesiasticorum, munera sua adimplere tenentur nomine Ecclesiae, salvo iure Ordinarii visitandi, exigendi rationem, etc. ...».

Rev.mus octavus Consultor proponit ut altera pars canonis, de iure Ordinarii, ad haec tantum verba contrahatur: «ad normam iuris».

Propositio omnibus placet.

*Can. 1521 ter*

Rev.mus Relator legit suam formulam:

«§ 1. Quilibet Episcopus tenetur officium oeconomi constituere pro administratione bonorum quae ad dioecesim pertinent (vel: bonorum ecclesiasticorum dioecesis), nisi parvitas dioecesis aut paucitas negotiorum aliud suadeat.

§ 2. Oeconomus nominatur ab Episcopo, auditio Consilio presbyterali.

§ 3. Praeter munus administrandi, sub auctoritate Episcopi, bona temporalia dioecesis, oecono committi possunt ab eodem Episcopo munera de quibus in cann. 1519 § 1 et 1521 § 1».

Rev.mus quartus Consultor nollet verbum «tenetur» et aliqui Consultores proponunt ut, praeter paucitatem negotiorum vel parvitatem dioecesis, etiam «*aliae circumstantiae*» admittantur tanquam causee quae Episcopum dissuadere possint ne officium Oeconomi constituant.

Dantur aliqua exempla illarum «aliarum circumstantiarum», ut putar leges civiles vexativae bonorum ecclesiasticorum; qua de re Rev.mus Secretarius animadvertisit tales graves circumstantias, si aliquando occurrant, legitimam causam praebere Episcopo ne Oeconomum constituant. Sed hoc patet ex natura rei, quin «*aliae circumstantiae*» expresse memorentur in canone.

Fit suffragatio placeatne formula Rev.mi Relatoris:

Omnibus placet.

### Adunatio III<sup>a</sup>

die 20 februarii 1968 vespere habita

Rev.mus secundus Consultor proponit ut canon novus hic ponatur qui dicat:

«Parocho, missionario, rectori saecularis ecclesiae, sive sit saecularis sive religiosus, competit vi iuris administratio bonorum, quae destinata sunt conservanda, reparandae decorandaque ecclesiae divinoque in eadem cul-

tui exercendo, nisi agatur de ecclesia cathedrali vel de ecclesia paroeciali religiosae communitati commissa, aut aliud ex speciali titulo vel legitima consuetudine constet».

Ratio huius canonis, dicit Rev.mus secundus Consultor, est quia, praemisso canone 1496 (recognito), ubi paroeciae considerantur expresse ut «subiectum capax bona temporalia acquirendi, retinendi at *administrandi* ad normam iuris», debet hic indicari quinam sit administrator ordinarius horum bonorum.

Rev.mus Relator meminit can. 1182 qui expresse agit de hac re, sed Rev.mus secundus Consultor arguit quod, ex ratione ordinis systematici et unitatis materiae, can. 1182 potius est transferendus in partem Codicis de bonis temporalibus.

Consentit Rev.mus Relator qui tamen praefert formulam can. 1182, potius quam formulam a Rev.mo secundo Consultore propositam.

Etiam alii Consultores concordant de transferendo can. 1182 in hunc locum sed non sunt concordes circa formulam adhibendam.

Rev.mus quartus Consultor censet quod non sint determinandi in individuum omnes administratores, sed sufficit enuntiatio generalis edicens administrationem penes eum esse qui personam moralem regit, nisi aliud ferat ius peculiare a legitima auctoritate constitutum.

Rev.mus tertius Consultor animadvertisit in paroecia plures personas morales extare, scilicet beneficium, bona paroeciae, fabricam ecclesiae etc. Saepe saepius fideles oblationes dant generatim paroeciae, quin distinguant cui talium personarum moralium oblatio destinata sit; in praxi est parochus qui haec omnia regit et administrat, sed convenit ut tota materia claris normis ordinetur.

Rev.mus Secretarius, ad suggestionem Rev.mi tertii Consultoris se referens, putat in futuro omnes illas administrationes congregatum iri in unicum personam moralem paroeciae.

Rev.mus octavus Consultor meminit mentem Concilii Vaticani II esse ut, quantum fieri possit, administratio centralizata omnium bonorum habeatur in dioecesi; ergo si canon redigatur prout propositus a Rev.mo quarto Consultore, in fine necessario clausula ponenda est: «nisi aliud ferat ius particulare».

Rev.mus quartus Consultor proponit suam formulam:

«*Administratio bonorum ecclesiasticorum penes eum est qui immedia- te regit personam moralem ad quam pertinent, nisi aliud ferat ius particu- lare aut legitima consuetudo*».

Rev.mus Relator proponit ut dicatur: «... ad quam eadem bona perti- nent...».

Canon, cum emendatione Rev.mi Relatoris, omnibus placet.

Rev.mus sextus Consultor, aliis consentientibus, proponit ut canon ita probatus fiat n. 1520 bis.

*Can. 1522*

Rev.mus Relator legit suam formulam:

« Antequam administratores bonorum ecclesiasticorum suum munus ineant:

1º debent se bene et fideliter administraturos coram Ordinario vel eiusdem delegato iurecurando cavere;

2º accuratum ac distinctum inventarium, ab omnibus subscribendum, rerum immobilium, rerum mobilium pretiosarum aliarumve cum descriptione atque aestimatione earundem redigatur, redactumque recognoscatur;

3º huius inventarii alterum exemplar conservetur in tabulario administrationis, alterum in archivo Curiae; et in utroque quaelibet immutatio adnotetur quam patrimonium subire contingat ».

De n. 1º fit suffragatio placeatne iuramentum imponere administratoribus:

Placet 5; non placet 5.

Quaestio ergo insoluta manet.

De n. 2º fit quaestio a Rev.mo sexto Consultore quinam inventaria subscribere debeant, cum locutio « ab omnibus subscribendum » rem incertam relinquat.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut dicatur « ab ipsis subscribendum ».

Suffragatur haec propositio:

Placet 8; non placet 2.

Ad n. 3º quod attinet aliquis Consultor proponit ut, in fine, haec verba addantur: « inventarium ostendendum est legitimis auctoritatibus ecclesiasticis ». Hoc modo, quantum fieri potest, praebetur administratoribus causa denegandi actoribus publicis inspectionem horum inventariorum, quando talis inspectio iniuste imponitur ad publicanda et expolienda bona ecclesiastica.

Alii Consultores, tamen, etsi admittant aliquando tempus necessitatesque tales cautiones postulare, notant quod ex ordinariis contingentibus inspectio inventariorum actoribus publicis, legitimate petitionibus, denegari nequit.

N. 3º ergo manet prout est in formula Rev.mi Relatoris.

Adunatio IV<sup>a</sup>  
die 21 februarii 1968 mane habita

*Can. 1523*

Rev.mus Relator legit suam formulam:

« § 1. Omnes administratores bonorum ecclesiasticorum diligentia boni patrisfamilias suum munus implere tenentur.

§ 2. Exinde debent:

1° vigilare ne bona ecclesiastica suae curae concredita quoquo modo perant aut detrimentum capiant, initis, in hunc finem, quatenus opus sit, contractibus adsecurationis;

2° praescripta servare iuris tam canonici quam civilis, aut quae a fundatore vel donatore vel legitima auctoritate imposita sint;

3° reditus bonorum ac proventus accurate et iusto tempore exigere exactosque loco tuto servare et secundum fundatoris mentem aut legitimas normas impendere;

4° foenus vel mutui vel hypothecae causa solvendum statuto tempore solvere, ipsamque debiti summam capitalem quam citissime redimendam curare;

5° pecuniam, quae de expensis supersit et utiliter collocari potest, de consensu Ordinarii, in emolumentum ecclesiae vel instituti occupare;

6° accepti et expensi libros ordinatos habere;

7° rationem administrationis conclusivam quotannis componere atque ad Ordinarium transmittere;

8° documenta et instrumenta, quibus iusta ecclesiae aut instituti in bona nituntur, rite ordinare et in archivo convenienti et apto custodire; authentica vero eorum exemplaria, ubi commode fieri potest, in archivo Curiae deponere.

§ 3. Rationes etiam praeventivae ab administratoribus quotannis faciendas (componendas) enixe commendantur.

§ 4. De rationibus praeventivis provideat ius particulare tum quoad eas praecipiendas vel commendandas, tum quoad modos quibus eadem sint exhibendae ».

Examinantur singulae paragraphi.

### § 1

Rev.mus tertius Consultor putat locutionem «diligentia boni patrisfamilias» aliquantulum poetam esse; proinde proponit ut dicatur «ea diligentia munus suum adimplere tenentur qua finis personae moralis obtineri possit».

Omnibus aliis Consultoribus placet formula prouti est, quia locutio «diligentia boni patrisfamilias» consacrata est a tota traditione iuridica sive canonica sive civili.

### § 2

Examinantur singuli numeri huius paragraphi:

N. 1º: omnibus placet.

N. 2º: Rev.mi tertius et quartus Consultores dicunt vitandum esse moralismum in iure; omnes enim sciunt leges servandas esse. Omittantur ergo verba: «iuris tam civilis quam canonici».

Alii Consultores autem censem proprium esse diligentis boni patrisfamilias servare leges canonicas et civiles (Rev.mi decimus, secundus et octavus Consultores).

Fit suffragatio placeatne delere illa verba:

Placet 4; non placet 7.

N. 3º: Rev.mus octavus Consultor proponit ut omittatur verbum «locum».

Propositio omnibus placet.

N. 4º: omnibus placet.

N. 5º: Rev.mus quintus Consultor censem hanc normam spiritum avaritiae sapere; ideo proponit ut reliquae pecuniae ad opera caritatis destinentur.

Aliqui Consultores respondent talem suggestionem non esse ad rem, quia reliquae pecuniae pertinent ad individuam personam moralem cuius patrimonium augeri potest et debet (Rev.mi decimus Consultor et Relator). Ceterum hic agitur de normis quae administratoribus impertiuntur ut munus suum fideliter adimpleant (Rev.mus secundus Consultor); quod si aliquid in opera caritatis impendendum sit, constabit vel ex tabulis fundationis vel ex legitimis deliberationibus eorum quibus competit (Rev.mus quartus Consultor).

Rev.mus undecimus Consultor animadvertisit quod in n. 3º imponitur administratoribus ut redditus impendant secundum mentem fundatoris aut legitimas normas; iamvero fines fundationum plerumque sunt ad opera caritatis. Ad suggestionem Rev.mi quinti Consultoris quod attinet, potest forsitan emendari aliquantulum formula n. 5º ut ille sensus avaritiae vitetur.

Placet propositio Rev.mi undecimi Consultoris et n. 5º ita emendatur:  
«Pecuniam, quae de expensis supersit et utiliter collocari potest, de consensu Ordinarii, in fines Ecclesiae vel instituti occupare».

N. 6º: Rev.mus tertius Consultor addere proponit verba: «cum probationibus»; sed Rev.mus secundus Consultor notat quod si libri accepti et expensi sint *ordinati*, certe non deerint probationes quoque.

Rev.mus Secretarius tamen opportunum censem ut dicatur saltem «bene ordinatos», quod omnibus Consultoribus placet.

N. 7º: placet omnibus.

N. 8º: placet omnibus.

### § 3

Placet omnibus.

### § 4

Placet omnibus.

N.B.: Probatione canonis 1523 iam facta, Rev.mus octavus Consultor proponit ut omnes normae § 2 remittantur ad ius particulare. Rev.mus Secretarius decernit ut Rev.mi Consultores in proxima Sessione dicant utrum placeat propositio Rev.mi octavi Consultoris an in decisio standum sit.

### Can. 1524

Rev.mi tertius, sextus, quintus et octavus Consultores praebent formulam can. 1524, quam Coetus ipsis redigendam commisit.

«§ 1. Administratores bonorum ecclesiasticorum in operum locatione leges quibus labor et vita socialis dirigitur, iuxta principia ab Ecclesia tradita, adamussim servent.

§ 2. Iis qui in favorem Ecclesiae operam praestant iustam et honestam mercedem tribuant ita ut eisdem facultates<sup>5</sup> praebantur suam suo-

<sup>5</sup> Cf. *Gaudium et Spes*, n. 67, comma 2.

rumque vitam religiosam, familiarem, socialem, culturalem adaequate excolendi».

### § 1

Rev.mus decimus Consultor dicit formulam, prout iacet, esse ambiguam et multis scatere difficultatibus. Per ipsam enim videretur firmari principium quod leges, quibus labor et vita socialis dirigitur, servandae sint dummodo concordent cum doctrina Ecclesiae. Et si non concordent, quae-rit Rev.mus decimus Consultor, quid fiet?

Rev.mus secundus Consultor concordat cum Rev.mo decimo Consul-tore et proponit ut formula ita mutetur: «Administratores... leges... ada-mussim servent, iuxta principia ab Ecclesia tradita».

Propositio Rev.mi secundi Consultoris maiori parti Consultorum placet.<sup>6</sup>

Rev.mus undecimus Consultor praeterea animadvertisit per verba «in operum locatione» non comprehendendi omnes rationes quae intercedere pos-sunt inter administratores et eos qui operam praestant in Ecclesia.

Rev.mus sextus Consultor censem quod si aliae rationes praecoccupari de-berent, tunc totus canon transferendus esset in partem «de contractibus».

Rev.mus decimus Consultor autem et alii Consultores putant locutio-nem «in operum locatione» servari posse, cum in praesenti canone sermo sit tandem aliquando de iusta mercede.

### § 2

Rev.mus quintus Consultor optat ut in canone clarius appareat agi de mercede danda illis qui vi contractus operam dant in Ecclesiam.

Ideo Rev.mus sextus Consultor proponit ut dicatur: «Iis qui Ecclesiae operam ex condicto praestant...».

Propositio omnibus placet.

<sup>6</sup> Rev.mus decimus Consultor vellet hanc formulam «Administratores ... servent principia ab Ecclesia tradita et, quantum fieri potest, leges civiles uniuscuiusque nationis».

Adunatio V<sup>a</sup>  
die 21 februarii 1968 vespere habita

Incipit recognitio canonum 1525-1534 Codicis Iuris Canonici.

*Can. 1525, § 1*

Rev.mus quartus Consultor proponit ut haec prima paragraphus recognoscatur hoc modo:

«Reprobata contraria consuetudine, administratores tam ecclesiastici quam laici quorumvis bonorum ecclesiasticorum quae ex Ordinarii loci iurisdictione non sint legitime subducta, singulis annis officio tenentur rationem eidem Ordinario reddendi».

Ratio propositae emendationis est quia difficulter praeberi potest accurata enumeratio eorum qui rationem Ordinario reddere tenentur, ideoque melius est affirmare tantum principium huius obligationis.

Propositio omnibus placet.

Rev.mus Relator innuit necessitatem edicendi quibus competat examinare illas rationes Ordinario redditas, secus fere numquam examinabuntur, uti ex praxi constat.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut sueae formulae addantur haec verba: «...., qui Consilio administrationis dioecesano examinandas transmittat».

Rev.mus decimus Consultor proponit ut rationes potius reddantur Consilio administrationis dioecesano, quod, postquam illas examinaverit, Ordinario tradat.

Placet suggestio Rev.mi decimi Consultoris et formula Rev.mi quarti Consultoris de prima paragraphe, complenda est his verbis:

«... tenentur rationes Consilio administrationis exhibendi, quod, examine peracto, eas Ordinario tradat».

*Can. 1525 § 2*

Circa rationes aliis, praeter Ordinario, reddendas, aliqui Consultores vellent rem relinquere iuri particulari (Rev.mi Relator et secundus Consultor), dum alii volunt ut res in iure communi ponatur, restrictive tamen ad oblationes quae ex fidelibus proveniant.

Praeterea quaestio fit utrum tales rationes fidelibus facienda, commendiari an praecipi debeant et, si praecipientur, utrum absolute praecipi debeant vel cum aliqua moderatione.

Octo Consultores volunt formulam praeceptivam mitigatam.

Tres Consultores volunt formulam praeceptivam absolutam.

Committitur Rev.mo sexto Consultori ut formulam redigere velit.

#### Adunatio VI<sup>a</sup>

die 22 februarii 1968 mane habita

Rev.mus sextus Consultor praebet Consultoribus formulam can. 1525,  
§ 2:

« De bonis quae a fidelibus Ecclesiae offeruntur administratores, nisi gravis obstet causa, rationes eisdem fidelibus reddere debent iuxta modum iure particulari statuendum ».

Ipse Rev.mus sextus Consultor dicit se preferre, tamquam formulam mitigationis, illa verba « nisi gravis obstet causa »; sed Consultores aliam selligere possunt formulam, ut puta: « nisi iusta causa aliud suadeat », vel « in quantum fieri possit » vel « in quantum commode fieri possit ».

Maiori parti Consultorum placet haec formula paragraphi secundae, adhibita clausula « nisi iusta causa aliud suadeat ».

#### Can. 1526

Rev.mus octavus Consultor proponit ut canon transferatur in locum « de processibus ».

Propositio non placet Consultoribus.

Ad formulam quod attinet, Consultores examini subiciunt illam quam Rev.mus secundus Consultor in suo voto proposuit:

« Administratores bonorum dioecesanorum, paroecialium aliarumque personarum iuridicarum litem de bonis ne inchoent vel contestentur, nisi licentiam obtinuerint scripto datam proprii Ordinarii aut saltem, si res urgat, immediati superioris, qui statim Ordinarium de concessa licentia certiorem reddere debet ».

Sequentes quaestiones Consultores ponunt:

*a.* Sufficit dicere « administratores », sine ulla specificatione (Rev.mus Relator).

*b.* Rarissime dantur casus urgentissimi ut Ordinarius interpellari ne-

queat, eo vel magis quod fere ubique adest telephonium (Rev.mus tertius Consultor).

c. Licentia inchoandi litem petenda est ab Ordinario *loci*, ratione publici ordinis (Rev.mus tertius Consultor).

Alii Consultores concordant circa quaestiones a) et b); circa quaestio-  
nem, autem, c) plures sententiae habentur:

- Rev.mi quartus, sextus et quintus Consultores concordant cum Rev.mo tertio Consultore.
- Rev.mus octavus Consultor concordat cum Rev.mo secundo Con-  
sultore de adeundo Ordinario proprio.
- Rev.mus septimus Consultor concedit religiosos indigere licentia Or-  
dinarii loci ad inchoandam litem contra personam, quae non sit religiosa.
- Rev.mus undecimus Consultor proponit ut hic affirmetur princi-  
pium generale de necessitate licentiae competentis auctoritatis; de-  
terminationes autem relinquuntur iuribus particularibus.

Fit aliqua discussio ad componendas varias sententias.

Rev.mus quartus Consultor animadvertis rationem cogentem de adeun-  
do Ordinario loci esse rationem scandali vitandi. Scandalum vero habetur  
si lis proponatur in foro civili. Ideoque hanc formulam canonis 1526 pro-  
ponit: «Administratores litem nomine Ecclesiae ne inchoent neve conte-  
stentur in foro civili, nisi licentiam obtinuerint Ordinarii loci».

Rev.mus decimus Consultor nollet restringere canonem tantum ad cau-  
sas in foro civili, sed Rev.mus quartus Consultor respondet rationem boni  
publici tantum hoc exigere videri, quod tamen non tollit necessitatem li-  
centiae proprii Ordinarii, in iure particulari statuendam, ad adeundum fo-  
rum ecclesiasticum.

Rev.mus undecimus Consultor proponit: «... licentiam ... scripto da-  
tam, Ordinarii ...».

Propositio Rev.mi undecimi Consultoris placet 9, non placet 2.

Rev.mus decimus Consultor proponit: «... Ordinarii proprii et Ordina-  
rii loci».

Propositio Rev.mi decimi Consultoris placet 8, non placet 3.

Suffragatur placeatne formula proposita a Rev.mo quarto Consultore  
cum istis emendationibus:

Placet 9; non placet 2.

Adunatio VII<sup>a</sup>  
die 23 februarii 1968 mane habita

*Can. 1527*

Ante omnia consideratur suggestio facta ab Exc.mo Mauro in suo voto de definienda nempe natura ordinariae et extraordinariae administrationis.

Consultores generatim censem talem quaestionem relinquendam esse doctrinae cum difficile sit in iure communi distinctionem ponere circa res quae in singulis regionibus et, non raro, in ambitu quoque eiusdem regionis mutant. Quod si aliqua ratio distinctionis necessario inveniri debeat, posset peti:

*a.* ex conformitate vel non praescriptis statutorum personarum moralium (Rev.mus tertius Consultor).

*b.* ex convenientia vel non expensarum rationibus praeventivis (Rev.mus nonus Consultor).

*c.* ex ipsa partitione facta in CIC edicendo nempe res sub titulo «de contractibus» pertinere ad extraordinariam administrationem, et res sub titulo «de bonis administrandis» ad ordinariam administrationem (Rev.mus secundus Consultor).

Tales distinctiones vero vel essent fictae, ideoque inadæquatae (Rev.mus Relator), vel inanes, quia vix adiutorium præberent bonae administrationi (Rev.mus decimus Consultor).

Et tamen, quoniam in canone agitur de validitate actuum, valde desiderandum est, dicit Rev.mus quartus Consultor, ut actus qui ordinariae administrationis fines modumve excedant, auctoritate competenti specificentur, ita ut administratoribus clare innotescant. Ideoque ipse Rev.mus quartus Consultor proponit ut illa distinctio legislatoribus particularibus committatur.

Eodem modo censem Rev.mi sextus, septimus, octavus et undecimus Consultores.

Rev.mus Relator proponit hanc solutionem: in iure communi dicatur modo generalissimo administrationem ordinariam importare conservationem patrimonii personae moralis, administrationem vero extraordinariam variationem patrimonii importare. Reliquae determinationes relinquuntur iuri particulari. Formula quam proponit Rev.mus quartus Consultor, in suo voto, cum debitissimis emendationibus, adhiberi posset ut basis discussionis.

Rev.mus octavus Consultor conatur omnes suggestiones componere per hanc formulam:

«Ordinarii est, postquam audierit Consilium administrationis, determinare, editis peculiaribus praescriptionibus, intra ambitum iuris communis et statutorum particularium uniuscuiusque instituti, quinam actus ordinariae administrationis fines et modum excedant, quos administratores invalide ponunt nisi prius ab ipso Ordinario facultatem, scripto dandam, impetraverint».

Formula quoad substantiam placet omnibus, dummodo ad duas paragraphos reducatur.

Proinde Rev.mus octavus Consultor proponit hoc modo:

«§ 1. Administratores invalide ponunt actus qui fines et modum ordinariae administrationis excedunt, nisi prius ab Ordinario facultatem, scripto datam, impetraverint.

§ 2. Ordinarii est, postquam Consilium administrationis audierit, determinare, editis peculiaribus praescriptionibus, intra ambitum iuris communis et statutorum particularium uniuscuiusque instituti, quinam actus ordinariae administrationis fines et modum excedant».

Contra praescriptum § 1 Rev.mus tertius et Ill.mus primus Consultores manifestant propriam dissensionem. Considerari enim debet hic agi de rebus quae sequelas habent in ordine morali et sociali et quae plerumque suam sanctionem habent in iure civili. Proinde irrealis est invalidatio in iure canonico quae certo certius in iure civili non recognoscetur.

Rev.mus undecimus Consultor proponit ut in § 2 dicatur: «... intra ambitum iuris sive communis, sive particularis et statutorum, etc...».

Propositio placet 10; unus se abstinet a sententia ferenda.

Suffragatur placeatne formula Rev.mi octavi Consultoris, cum emendatione inducta a Rev.mo undecimo Consultore:

Placet 8; non placet 3.

### Adunatio VIII<sup>a</sup>

die 23 februarii 1968 vespere habita

Rev.mus Relator quaerit ex Consultoribus quid censeant de § 2 canonis 1527, prout in CIC, postquam in conventu matutino probatae sunt §§ 1 et 2 prout in formula Rev.mi octavi Consultoris, utrum, nempe, sustinenda sit necne norma iuxta quam Ecclesia non tenetur respondere de con-

tractibus ab administratoribus sine licentia competentis Superioris initis, nisi quando et quatenus in rem suam versum sit.

Circa hanc rem multae habentur discussiones inter Consultores, quorum sententiae ad sequentes reducuntur:

a. norma retineri debet quia agit de responsabilitate administratorum et de liberanda Ecclesia a damnis iniuste eidem illatis (Rev.mi decimus, quartus, sextus, octavus et septimus Consultores).

b. norma aboleri debet quia non videtur congruum quod Ecclesia cum illorum contractuum deponat (Rev.mi secundus et quintus Consultores), eo vel magis quia licentia est factum internum Ecclesiae, dum contractus effectus parvunt in ordine civili (Rev.mus tertius Consultor).

c. norma aboleri potest quia res satis innuitur in prima paragrapho manu probata, cum Ecclesia non possit respondere de actibus quos non recognoscit (Rev.mus nonus Consultor).

d. cum in can. 1529 canonizetur ius civile in materia de contractibus, convenit ut etiam de responsabilitate administratorum iudicetur secundum easdem leges civiles (Rev.mus undecimus et Ill.mus primus Consultores).

Deinde Consultores conantur redigere aliquam formulam, sed postea melius censetur rem remittere ad adunationem crastinam.

#### *Can. 1528*

Rev.mus quintus Consultor canonem supprimere proponit quia ad moralem obligationem pertinet.

Alii Consultores autem volunt canonem retinere, adhibita tamen formula Codicis Orientalis (can. 277), qui agit tantum de prohibitione dimittendi munus administratoris, arbitratu suo.

Rev.mus tertius Consultor tamen vellit ut canon ageret etiam de reparatione damnorum ex arbitraria dimissione officii forte illatorum.

Rev.mus octavus Consultor, consentientibus aliis, proponit ut in canone (prout in formula Codicis Orientalis) deleatur mentio beneficii.

Canon 1528, ergo, erit sequens:

«Etsi ad administrationem non teneantur titulo officii ecclesiastici, administratores munus expresse vel tacite susceptum arbitratu suo dimittere nequeunt».

Rev.mus sextus Consultor proponit ut dicatur «deserere» loco «dimittere» sed alii Consultores nolunt hanc mutationem.

Adunatio IX<sup>a</sup>  
die 24 februarii 1968 mane habita

Resumitur quaestio utrum Ecclesia teneatur necne respondere de contractibus ab administratoribus sine licentia competentis superioris initis.

Rev.mus Relator proponit hanc formulam canonis 1527 § 3:

«Ecclesia non tenetur actibus invalidis ad normam § 1, neque actibus illicitis, etsi validis, ab administratoribus positis, nisi quando et quatenus in rem suam versum sit».

Rev.mus tertius Consultor proponit ut formula compleatur per haec verba:

«Administratores autem respondent coram eis qui inde damnum passi sunt».

Ad actus illicitos quod attinet, variis Consultores volunt ut ipsis quoque Ecclesia teneatur, salvo recursu contra administratores illicite agentes.

Quoniam discordes sententiae, heri prolatae, denuo redeunt, Rev.mus Secretarius proponit ut ex propositis formulis, haec tria commata distincte et successive perpendantur:

1<sup>um</sup> comma:

«Ecclesia non tenetur actibus ab administratoribus invalide positis, nisi quando et quatenus in rem suam versum sit».

2<sup>um</sup> comma:

«De actibus tamen illicitis, sed validis, respondere debet; salvo iure recursus contra illos qui damna eidem intulerunt».

3<sup>um</sup> comma:

«Administratores autem respondent coram eis qui inde damnum passi sunt».

Quoad 1<sup>um</sup> comma habetur concordantia fere unanimis Consultorum; suffragia enim sunt:

Placet 8; non placet 1; 1 se abstinet a sententia ferenda.

Quoad 2<sup>um</sup> comma haec animadvertisuntur:

Rev.mus octavus Consultor vellet: «... qui damna et iniurias eidem intulerunt».

Rev.mus secundus Consultor nollet verbum «eidem».

Suffragatur placeatne comma 2<sup>um</sup>:

Placet 8; non placet 1; 1 se abstinet a sententia ferenda.

Quoad 3<sup>um</sup> comma maior pars Consultorum dicunt talem normam necessariam esse, sed aliqui censem melius determinandos esse limites responsabilitatis Ecclesiae et responsabilitatis administratorum. Illiceitas contractuum enim provenire potest ex causis quae non pendent totaliter a voluntate administratorum (Rev.mus quartus Consultor), imo aliquando imputari posset superioribus ex defectu debitae vigilantiae.

Cum tempus desit, finis imponitur Sessioni et Consultores rogantur a Rev.mo Secretario ut scripto proponere velint Secretariae Commissionis formulam huius § 3 canonis 1527.

Item rogantur Consultores ut dicant quid sentiant de inscriptione tituli et de structura huius partis Codicis, quae agit de bonis administrandis et de contractibus.

APPENDIX

SCHEMA CANONUM

*Canones 1518-1528 approbati in Sessione mensis februarii a. 1968*

*Can. 1518*

Summus Pontifex, vi Primatus iurisdictionis, est omnium bonorum ecclaeasticorum supremus administrator et dispensator.<sup>7</sup>

*Can. 1519*

Bona ecclesiastica, quae ex pluribus dioecesibus coalescunt, ad normam canonum ... administrantur secundum normas a Conferentiis episcopali- bus legitime statutas.

*Can. 1519 bis*

§ 1. Ordinarii est sedulo advigilare administrationi omnium bonorum ecclaeasticorum, quae ad personas morales pertinent suae iurisdictioni subiectas, salvis legitimis praescriptionibus, quae eidem potiora iura tribuant.

§ 2. Habita ratione iurium, legitimarum consuetudinum et circumstantiarum, Ordinarii, editis peculiaribus instructionibus intra fines iuris communis, universum administrationis bonorum ecclaeasticorum negotium ordinandum current.

*Can. 1520*

§ 1. Quilibet Ordinarius proprium Consilium administrationis instituat, quod constet praeside, qui est ipse Ordinarius, et aliquot viris idoneis, quorum saltem unus ad Consilium presbyterale pertineat, ab ipso Ordinario eligendis, auditio eodem Consilio presbyterali, nisi iure particulari alio aequivalenti modo provideatur.

<sup>7</sup> N.B.: Mens Consultorum est ut hic canon in Codicem fundamentalem transferatur, et eiusdem loco, sub eodem numero, sequens textus collocetur: « Summi Pontificis est legibus generalibus administrationem bonorum ecclaeasticorum moderari et graviores causas suo iudicio reservare ».

§ 2. Ordinarius statuat normas quibus Consilium administrationis suum munus adimplere debeat.

§ 3. A Consilio administrationis excluduntur viri qui cum Ordinario primo vel secundo gradu consanguinitatis vel affinitatis coniuncti sunt.

§ 4. Ordinarius in administrationis actibus maioris momenti Consilium administrationis audire tenetur; huius tamen sodales votum habent tantum consultivum, nisi iure communi in casibus specialiter expressis vel ex tabulis fundationis eorum consensum exigatur.

*Can. 1520 bis*

Administratio bonorum ecclesiasticorum penes eum est, qui immediate regit personam moralem ad quam eadem bona pertinent, nisi aliud ferat ius particulare aut legitima consuetudo.

*Can. 1521*

In administratione bonorum ecclesiasticorum, quae ex iure vel tabulis fundationis suos non habent administratores, Ordinarius assumat viros idoneos, qui elapso triennio a munere cessant, nisi ab Ordinario iterum nominentur.

*Can. 1521 bis*

Omnis, sive clerici sive laici, qui legitimo titulo partes habent in administratione bonorum ecclesiasticorum, munera sua adimplere tenentur nomine Ecclesiae, ad normam iuris.

*Can. 1521 ter*

§ 1. Quilibet Episcopus tenetur officium oeconomi constituere pro administratione bonorum, quae ad dioecesim pertinent, nisi parvitas dioecesis aut paucitas negotiorum aliud suadeat.

§ 2. Oeconomus nominatur ab Episcopo, auditio Consilio presbyterali.

§ 3. Praeter munus administrandi, sub auctoritate Episcopi, bona temporalia dioecesis, oecono committi possunt ab eodem Episcopo munera de quibus in cann. 1519 § 1 et 1521 § 1.

*Can. 1522*

Antequam administratores bonorum ecclesiasticorum suum munus ineant:

1° debent se bene et fideliter administraturos coram Ordinario vel eiusdem delegato iureiurando cavere;<sup>8</sup>

2° accuratum ac distinctum inventarium, ab ipsis subscribendum, rerum immobilium, rerum mobilium pretiosarum aliarumve cum descriptione atque aestimatione earumdem redigatur, redactumque recognoscatur;

3° huius inventarii alterum exemplar conservetur in tabulario administrationis, alterum in archivio Curiae; et in utroque quaelibet immutatio annotetur quam patrimonium subire contingat.

*Can. 1523*

§ 1. Omnes administratores bonorum ecclesiasticorum diligentia boni patrisfamilias suum munus implere tenentur.

§ 2. Exinde debent:

1° vigilare ne bona ecclesiastica suae curae concredita quoquo modo perirent aut detrimentum capiant, initis in hunc finem, quatenus opus sit, contractibus adsecurationis;

2° praescripta servare iuris tam canonici quam civilis, aut quae a fundatore vel donatore vel legitima auctoritate imposita sint;

3° redditus bonorum ac proventus accurate et iusto tempore exigere exactosque tuto servare et secundum fundatoris mentem aut legitimas normas impendere;

4° foenus vel mutui vel hypothecae causa solvendum statuto tempore solvere, ipsamque debiti summam capitalem quam citissime redimendam curare;

5° pecuniam, quae de expensis supersit et utiliter collocari potest, de consensu Ordinarii, in fines ecclesiae vel instituti occupare;

6° accepti et expensi libros bene ordinatos habere;

7° rationem administrationis conclusivam quotannis componere atque ad Ordinarium transmittere;

8° documenta et instrumenta, quibus iura Ecclesiae aut instituti in bona nituntur, rite ordinare et in archivio convenienti et apto custodire; authentica vero eorum exemplaria, ubi commode fieri potest, in archivio Curiae deponere.

<sup>8</sup> Hic numerus ex suffragatione — 5 contra 5 — probatus non est; inseritur in Acta ut provideant Superiores.

§ 3. Rationes etiam praeventivae ab administratoribus quotannis componendae enixe commendantur.

§ 4. De rationibus praeventivis provideat ius particulare tum quoad eas praecipiendas vel commendandas, tum quoad modos quibus eadem sint exhibenda.

*Can. 1524*

§ 1. Administratores bonorum ecclesiasticorum in operum locatione leges, quibus labor et vita socialis dirigitur, adamussim servent, iuxta principia ab Ecclesia tradita.<sup>9</sup>

§ 2. Iis, qui Ecclesiae operam ex condicto praestant, iustum et honestam mercedem tribuant ita ut eisdem facultates praebentur suam suorumque vitam religiosam, familiarem, socialem, culturalem adaequate colendi.

*Can. 1525*

§ 1. Reprobata contraria consuetudine, administratores tam ecclesiastici quam laici quorumvis bonorum ecclesiasticorum, quae ex Ordinarii loci iurisdictione non sint legitime subducta, singulis annis officio tenentur rationes Consilio administrationis exhibendi, quod, examine peracto, eas Ordinario tradat.

§ 2. De bonis, quae a fidelibus Ecclesiae offeruntur, administratores, nisi iusta causa aliud suadeat, rationes eisdem fidelibus reddere debent iuxta modum iure particulari statuendum.

*Can. 1526*

Administratores litem nomine Ecclesiae ne inchoent neve contestentur in foro civili nisi licentiam scripto datam Ordinarii proprii et Ordinarii loci obtinuerint.

<sup>9</sup> Rev.mus undecimus Consultor vult ut in nota ponantur sequentes textus formularum huius § 1: «Administratores bonorum ecclesiasticorum in gestione negotiorum officii sui, praesertim in operae (operarum) conductione, leges quibus labor et vita socialis dirigitur adamussim servent, iuxta principia ab Ecclesia tradita» — vel «Administratores bonorum ecclesiasticorum in gestione negotiorum officii sui, quae iustitiam socialem tangunt (spectant) praesertim in operae (operarum) conductione, leges quibus...».

*Can. 1527*

§ 1. Administratores invalide ponunt actus qui fines modumve ordinariae administrationis excedunt, nisi prius ab Ordinario facultatem scripto dandam impetraverint.

§ 2. Ordinarii est, postquam Consilium administrationis audierit, determinare, editis peculiaribus praescriptionibus intra ambitum iuris sive communis sive particularis et statutorum particularium uniuscuiusque instituti, quinam actus ordinariae administrationis fines et modum exce-  
dant.

§ 3. Adhuc redigenda et probanda est.

*Can. 1528*

Etsi ad administrationem non teneantur titulo officii ecclesiastici, administratores munus expresse vel tacite susceptum arbitratu suo dimittere nequeunt.

